35.4.L.23 3

STANISLAUS KOSTKA

DRAMA SACRUM.

AUTHORE

P. JOANNE LUCCARO

SOCIET. JESU.

Biblioteca del Principe Gabrielli.
Roma. 1604.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

poi di Gaspare Sevi

ROMÆ, MDCCIX.

Ex Officina Cajetani Zenobii Typographi, & Scalptoris Sanctiss. D. N CLEMENTIS XI. propè Sanctum IGNATIUM.

SUPERIORUM FACULTATE.

CLARISSIMIS, NOBILISSIMISQUE COLLEGII PTOLÆMEI ADOLESCENTIBUS,

D. C. S. J. FELICITATEM.

Vm primùm divelli à Vobis, Adoleſcentes *ornatiſſimi*, *eamque quam*, *& colitis*, *& ornatis inclytam Nomine*, *atque Ingeniis Vrbem linquere*, *valetudinis causâ debui*; *eâ altè Animo meo cogitatio inhæſit*, *ut ſi quid uſpiam occurreret*, *unde extare aliqua obſequii erga Vos mei ſignificatio poßet*, *non arriperem modo*, *verum etiam*

am & amplecterer, & exoscularer. Quid enim jucundius mihi, aut optatius accideret, qua si munusculo aliquo gratiam à Vobis inirem, quos non Hetruria solum elegantiarum Parens optima, sed universa quodammodo colit Italia, suspicitque. Hæc autem cum ego mecum agitarem, opemque ad id à Familiaribus meis, & consilium poscerem; oblatum mihi forte fuit hoc Drama, quòd vobis nuncupo, atque è rè fore insinuatam, si vestris illud auspiciis, meàque operà prodiret in lucem. Duo quippe erant, quæ commendare vobis donum, meumque in vos vestraque omnia studium apprime posset; alterum nimirum Dramatis argumentum; alterum Author. Nam ad primum quòd attinet, quid deniquè nobilissimis, pietatisque studiosissimis Adolescentibus offerri opportunius posset, quam clarissimus quidem genere, sed longe pietate, moribusque clarior Adolescens STANISLAUS KOSTKA? *in cujus nimirum singulari Modestia, generositate, constantiâ, vestros ipsi mores, vestras vivendi, agendique rationes dignoscere possetis, tutòque diligere: Nam cum cætera, quæ in vos impense natura cõgessit nominum vestrorum decora, cum aliis etiam communia habeatis: ea tamen quæ in vos ab optimo Vitæ cultu, pietatisque studio promanant, vobis profectò unis debetis; quamobrem*

ve-

vestrum non esse non potest quidquid illustre est, & cum pietate conjunctum. Jam verò, quod ad alterum pertinet, is Dramatis hujus est Author, qui cum nomine se suo tueatur ac vindicet, vobis quidem certè probabitur; quibus probari optima solēt. Quis enim P. Joannem Luccari Societatis nostræ Virum omni bonarum artium cultu perpolitum, diùque in hoc Collegii Romani Athæneo Rethoricæ *facultatis Præceptorem optimum de nomine saltem non noverit? Enimverò, si quisquam alius, tantam ipse est apud optimum quemque politioris præsertim litteraturæ famam, opinionemque assecutus, ut literariæ Reipublicæ interesse plurimum sapiens quilibet judicaverit si aliquid ab illo exaratum typis committeretur. At quod nunc oculis creditur, etsi leve robustioris ingenii rudimentum est (vix enim trigesimum ætatis annum Author impleverat cum hoc Drama conscripsit) habet tamen, quibus Atticis probetur, & placeat auribus, Veneres non exiguas. Quæ quidem omnia, cum præsertim accederet hominum eruditissimorum suffragium, permoverunt me ut ab optimo sene quocum ego versari sæpe soleo, Drama hoc, quod vobis inscriberem, non poscerem modo, verùmetiam efflagitarem; & quamvis (quæ est ipsius modestia singularis) id ipse, semel, iterum, tertio re-*

fugerit; indulsit denique precibus hoc meis; & quotidiano, quod Quintilianus ajebat, convicio cessit.

Vos ergo lectissimi Juvenes, excipite eà qua soletis benevolentia, atque humanitate obsequii erga vos mei monumentum hoc qualecumque, atque in ipso, & Animum in vos meum, & alacre Auctoris ingenium, & pictos affabrè Stanislai mores Sanctissimos, &, quod caput est, vestram in Stanislaum pietatem, in Autharem, opinionem, in me comitatem probate. Valete.

Romæ ex Collegio Romano Kalendis Februarii 1709.

DRA-

DRAMATIS ARGUMENTUM.

STANISLAUS è clarissima KOSTKÆ in Polonia stirpe ortus, ab ipsa Infantia pietati addictus, pietati crevit. Certus Deiparæ ope, & suasu, Societati Jesu nomen dare, dum oportunitatem implendi consilii quærit, Viennam in celeberrimam Austriæ Urbem cum Paulo Germano suo, studiorum gratiâ à Parente missus est, & ab eodem Paulo, qui Stanislai moribus nullâ tunc quidem ex parte consentiebat, divertere apud Lutherianum Hospitem est coactus. Nihil inde tamen periculi ipsius pietati creatum; nam & hospitium bonis cæteroqui moribus inauspicatum, Stanislai gloriæ serviit, & Hospes qui inficere illum Lutheriana lue, & prodromâ luis voluptate omni ope tentaverat, robusta ejusdem modestiâ, castimoniâ, costantia victus, in Orthodoxorum castra cum Filiis suis, abdicato molli Vitæ cultu, migravit. Paulus verò Fratris, cùm præclaris facinoribus, tùm eximiâ in primis tolerantiâ permotus, meliorem ad frugem recepit se. Stanislaus denique qui tanta gessit bella, dum bellum parat, clam fugâ Romam versus Cœlicolum auspicio molitus, voti compos est factus inità Jesu Societate. Hinc Dramatis argumentum habes; quam verò apte argumento Drama respondeat judicium penes te esto.

RAINERIUS CARSUGHIUS

SOCIETATIS JESU

In Provinciâ Romanâ PRÆPOSITUS Provincialis.

CUm Drama, cui titulus: STANISLAUS KOSTKA, *a* P. Joanne Luccaro nostræ Societatis Sacerdote conscriptũ, *aliquot ejusdem Sociitatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse, probaverint, potestate nobis à R. P. Nostro Michaele Angelo Tamburini Præposito Generali, ad id traditâ, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus.*

Romæ die 26. Januarii 1709.

Rainerius Carsughius.

Impri-

Imprimatur,
Si videbitur Reverendissimo Patri Magist. Sac. Palat. Apost.
Dominicus de Zaulis Episc. Verulanus Vicesger.

EX commissione Reverendissimi Patris Paulini Bernardinii Sac. Palatii Apostolici Magistri vidi Sacrum Drama ingeniosè, & concinnè elaboratum; cumquè nihil contineat à Fide Catholica, & bonis moribus dissonum, immò pietatem, ac elegantiam redoleat, dignum censeo ut typis vulgetur. Datum Romæ in Collegio D. Thomæ apud SS. Vincentium, & Anastasium in Trivio die prima Februarii 1709.

Cajetanus Corazza Cler. Reg. Minorum Sacræ Theologiæ Lector.

Imprimatur,
Fr. Jo: Baptista Carus Magister, & Reverendiss. P. Paulini Bernardinii Sac. Apostol. Palat. Magistri Socius Ord. Præd.

ACTORES

IN PROLOGO.

ESAU.
JACOB.

IN IPSO DRAMATE.

B. STANISLAUS KOSTKA.
Paulus Stanislai Frater natu Major.
Nicander Conſcientiæ Moderator.
Phyletes Morum Magiſter.
Gormandus Lutheri Aſſecla.
Boemundus) Gormandi Filii.
Cratillus)
Pyraſtes Chacodæmon Juvenis formoſi ſpecie.

STA-

STANISLAUS.

DRAMA.

PROLOGUS.

Esau, Jacob.

Es. ESau ferarum domitor, in fratrem fera;
Pretiosus emptor ille famulatus mei,
A patre natus degener; ab avo nepos;
Et, quo superbit noster in pœnis dolor,
Tonantis odio dignus; invisum diem
Libare rursus cogor, & Cœlum pati,
Quo fruitur hostis frater. Ætheraeæ domus
Inimica lucis ora percussit nitor.
Juvat relabi noctis in cæcum chaos.
Tenebrosa ditis antra me minùs premunt,
Quàm regna fratris. Crucior infelix tuâ
Jacobe gravius sorte, quàm flammis meis.
Redibo in umbras umbra: Tenarii lacus
Repetam paludes; Tenarum at mecum gero.
Ubique nostrum pœna comitatur scelus:
Ubique culpa est carnifex, vindex Deus.
Cruciatur Esau. Nulla supplicio vacant
Momenta. Tristi corda pœnarum gero
Foecunda sobole. Pullulo in clades meas,
Pereoque semper umbra, quæ perii semel.
Neque hic malorũ cumulus: In Cœlum stygem
Transferre cogor. Fratris æternum decus
Me torquet, & me laniat. Est Jacob mihi
Cerberus, Erynnis, Hydra, Gorgoneum caput.
Ille mihi puero prælium indixit puer.
Palaestra matris uterus ambobus fuit:
Utinam fuisset tumulus. Ego primas tuli.
Extorsit ille jura primatus dolo,

Fratremque lusit: dona præripuit Patris;
Præripuit insuper astra, præripuit Deum.
Sed fugiat ipse noxias Esau manus.
Non fugiet unquam quisquis infensum sibi,
Nocuumque, rectus ipse, & innocuus potest
Sentire fratrem. Clara Choscarum domus.
Ferax Dynastis, grande Sarmatiæ decus
Viget aucta geminis fratribus, dispar movet
Utriusque mentem cura; quodque alter fugit,
Sectatur alter: studia diversos trahunt:
Me major æmulatur; at fratrem minor:
Illum voluptas laxat; hunc frœnat pudor,
Ibo ibo in odia Fratrum, & antiquum novo
Cumulabo scelere crimen, inveni viam,
Qua fratris oculos vulnerem: hac pergat furor;
Hac vincat Esau. Fratris in pœnas ruat
Major minoris: plectat insontem Reus:
Iniquus Æquum vexet, exagitet, premat.
Sed heu quid ignes inter obrigui gelu?
Quis me repente civis Astrorum fugat?
Jacobus est: incœpta dissolvet mea,
Dehisce tellus; fratris aspectum horreo.
Jac. Delapsus aula pacis, & Divum domo (a)
Fœcundus Israël, atavus infantis Dei,
Regumque felix genitor huc pacem Fero.
Patuere fratris odia & audaces doli.
Teneo quid intus agitet alieni otii
Fastidiosus Animus, & quantam struat
Choschis ruinam. Nota fraus, nota est manus.
Libet ire contra: facibus eripiam tuis
Devota Cœlo capita Fraternus furor.
Fratres tuebor Sarmatas. Pauli manu
Choschæ minoris eruam innocuum caput,
Profugumque Juvenem ducam ad optatos lares,
Ubi vota cordis expleat Jesu comes,

Da-

(a) *Patriarcha Jacobus Cœlo delabitur fratris molimina destructurus.*

Dapibusque sacris frugis æternæ satur
Proludat astris. Paulus interea truces
Deponet æstus mentis, & fratrem induet;
Cœli repente victima, & victor stygis.
Meam ergo referet fuga Stanislai fugam;
At Paulus Esau stabile non refert scelus.
I nunc superbe livor, & fratrem feri.

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Gormandus Luteri assecla, Boemundus, Cratillus Gormandi filii.

Gor. ROseum sepultis nunciat terris diem (put
Cristata volucris fluctibus erythræ ca-
Promente Phœbo. Membra destituit sopor,
Repetitque terras dura curarum Cohors.
Vos usque somnus urget, & nunquam satis
Excutitis oculis noctem. Inoffensos refert
Difficilè gressus arduam quisquis terit
Sopore gravidus orbitam, & qui amat moras,
Divina cum res agitur, hic nunquam est vigil.
Bo. Quorsum ista genitor? Fare cur nondum tibi
Vigiles videmur? Nostra quę tan em est mora?
Divina quæ res agitur? In aperto est nihil.
Gor. Luterus aptam stravit ad superos viam,
Et quod reliquit ipse doctrinæ Jubar
Divina res est. *Crat.* Nemo id in dubium vocet.
Gor. At vos vocatis. *Crat.* Absit. Est præceps salus,
Religio cum vacillat. *Bo.* Æternum perit
Quicumque veri semitam ignavus premat.
Gor. Vos premitis ignavi. Peregrinus puer (a)
Cum

(a) *Increpat Hæreticus filiorum segnitiem in causa Luterianæ religionis.*

Cum Fratre adulto Sarmatum Algenti solo
Deductus huc, ut nostis, & nuper mihi
Alite sinistro junctus hospitio, palam
Sacra execratur placita, quæ prompsit pio
Luterus ore. Jamque relligio viget
Romana nostris laribus, & serpit lues,
Spectante me. Quid agimus? haud semel fuit
Levis favilla spreta multorum rogus.
Tam grave, priusquam robore augescat, malum
Opprimite, nam, si crescat, heu quantam dabit
Segetem dolorum! Jura, Justitiam, Fidem
Romanus ille morbus in pestem trahit.
Ego jam seniles fronte contraxi notas,
Genibusque titubo sarcina annorum gravis.
Ingenia Juvenum facilè non flectit senex.
Horret Juventus capitis effœti nives,
Vos, o senectæ dulce præsidium meæ, (a)
Vos junioris advenæ blandis modis
Capere potestis pectus errorum tenax.
Suadela dulcis unicè hunc petat scopum,
Et blandientis oris huc tendat lepos,
Ut infulato Præsidi obstrictam novæ
Babylonis (utique nomen hoc Romam decet)
Malefidus hic Polonus excutiat fidem,
Avidoque totum corde luterum bibat, (b)
Bo. Quæ prima Juvenis mente religio stetit
Persistet hæc extrema. Vix longus labor
Evertit id, quod longa duravit dies.
Cra. Non sic profundi stirpe multiplici occupat
Annosa quærcus fertile ingenium soli;
Non sic adhæret corpori innatus vigor,
Animoque corpus, hominis ut mente insident
Cum lacte matris hausta majorum sacra,
Sint penitus execranda. Nil tenacius
Hu-

(a) *Pater hæreticus hortatur filios, ut Stanislaum per Blanditias ad luterianam sectam alliciant.*
(b) *Repugnant filii, & rei difficultatem ostendunt.*

Humana retinent corda, quàm ſuperis fidem
Semel obligatam. Pace jam dicam tua,
Juſſo facinori genitor haud ſumus pares.
Gor. Eſt ſcilicet grande facinus, & ingens labor
Puerile pectus vincere. *Crat.* Haud ſecus reor.
Pueros religio Patria Gyganres facit.
Gor. Faciat. Gygantum capita proſternit Deus.
Crat. Qui nempè pueri ſarmatæ votis favet.
Gor. Erras Cratille. Vota fortunat Deus
Luterianæ ſobolis. Infanda, horrida,
Impia Tridenti jura, deliri ſenes
Quæ ſomniarunt, odit Aſtrorum potens (men
Dominator. *Crat.* Et nos odimus Hic hoſpes ta-
Quæ jura dictis aſtruit, factis probat.
Gor. Improba probare facta jus nullum queunt.
Crat. Ratione quod fit improbum vocas Pater?
Gor. Sacra Vaticanæ legis, & Romæ fides
Ratione non probantur. *Crat.* Et tamen vigent.
Quippè rationi conſona, in ſpeciem licet
Adverſa, Sed quam ſola, quæ falli poteſt,
Humana ratio firmat, infirma eſt fides.
Religio Romula jactat Auctorem Deum,
Ab Homine noſtra originē, & vitam trahit. (a)
Gor. Allucinaris nate. Noſtra nititur
Puris ſacratæ paginæ verbis fides,
Quæ prompſit is, qui fallere haud poteſt Deus.
Nos illa rectè accipimus, ut ſonant; malè
Torquent Latini, & litteram occidunt, metu,
Ne à littera occidantur. O præpoſteræ
Stolidum timorem gentis! O dirum nefas
Cenſere vitæ à pabulo exitium trahi!
Jam quæ corona triplici inflatus jubet
Romæ Tyrannus dogmata à cunctis coli;
Recipique ceu Divina Chriſtiadum plagis,
Ex parte magna parta ab hominibus nihil
Cœ-

(a) *Pater hæreticus Catholicam fidem elevare conatur, & luterianam extollere.*

Cœleste sapiunt. Noster his meritò fidem
Luterus abrogavit, hæc nugas vocans. (a)
Vir ille porrò Saxonum æternum decus,
Mentem superno Flamine imbutus, novum,
Cœloque fidum peperit in terris gregem,
Ab Impiorum genere Secernens pios.
His nullus angit corda venturæ timor
Post fata sortis. Astra jam tenent manu. (b)
Ea namque nullis debita operibus rati,
Fidei sed uni pervia, expertes metu,
Vacuique curis aureos ducunt dies.

Crat. Utcumque se res habeat, haud moror Pater
Mihi Imperare, ut vocibus credam tuis.
Luterianas flectere ad partes tamen
Nec fratris hujus, verba nec poterunt mea
Choscham minorem. Pectus in patria gerit
Fide obstinatum. Noster incassum labor
Fundetur, & pro laude ludibrium feret.

Bo. Desiste Frater Patris Imperio decet
Parere natos, arduum quamvis opus
Imperet: inausum pectore animoso nihil
Relinque, Patris prosperè ut votum cadat.

Crat. Surdo Canemus fabulam. Immotus puer
Nos ad Latina potius adducet sacra,
Quàm nostra prono pectore admittat. Rogo,
Majus aliundè robur ut quæras, mihi
Nulla superandi Sarmatæ constat via. (c)

Gor. Viam docebo. Corda nil citius domat,
Sectæque nostræ ad Castra facilius trahit
Quàm

(a) *Laudat Luterum.* (b) *Luteranorum opinio de imbecillitate operum, & unius fidei robore, & efficacia ad salutem animi asquirendam.* (c) *Ostendit Pater hæreticus quanta sit vis, & potentia voluptatis ad corda hominum utcumque fortium emollienda, & filiis persuadere conatur, ut Stanislaum, utpotè juvenem voluptati opportunum, ad illius prosecutionem impellant.*

Quàm vita mollis. Fœda quod morbilues jus,
Quod Sæva Martis ira, quod constans labor,
Quod concitatæ plebis indomitus furor,
Quod ipse mortis horridæ haud potest rigor
Frangere, voluptas frangit. Hęc validos Duces,
Procerescque Celsos, quodque mireris magis,
Rigida volentes jura Claustrorum Viros
Vi præpotente vicit. Hæc illos gravi
Pressa Laterani præsulis Tyrannide
Solvere coëgit colla, & ejus vindicem,
Posita priori mente, Luterum sequi.
Hac est petendus Advena. *Crat.* Inventũ sagax
Amplector alacris. Nempè blanditiis potens (a)
Omnia voluptas vincit Hæc placet via, (gem
Per quam trahendum Sarmatam ad nostrũ gre-
Et amovendum à Romula ostendis fide,
Nam captiosis mollis illecebræ plagis
Juventus, utpotè lubrica, in primis patet;
Fidesque Vaticana non aliter potest,
Quàm blanda per solatia in cladem trahi.

Gor. Sapis Cratille. *Crat.* Corda sed Pauli prius
Tentanda judico. *Gor.* Stanislai pete
Pectora. Pudoris Paulus excussit Jugum,
Jam jamque noster est: voluptatem colit.

Crat. Patris exequamur jussa Boëmunde ocyus.

Bo. Mos tibi geretur genitor. Imbellis Puer
Manus catenis mollibus victas dabit.

Gor. Abite celeres. Facinus haud patitur moras.

SCENA SECUNDA.

Gormandus, Chacodæmon voluptatis Instinctor sub forma Juvenis.

Gor. PArs sceleris est peracta, non totum scelus.
Perge anime. & aliquid Fraude vulgari al-
Meditare. Castę pertinax mentis pudor, (tius
Ani-

(a) *Duo Juvenes patri assentiuntur, & operi ab eo jusso se accingunt.*

Animique vis invicta puerorum dolis
Non facilè succumbet. Stanislaum nequit
Juvenilis astus flectere ingenii, nequit (a)
Flectere senilis. Fraudis insuetæ via.
Grassabor audax. Dexteram haud rudem affero
In damna, stygii miles emeritus ducis.
Thessalica novi carmina, & quidquid fovet
Dirum, execrandum, pestilens, atrox, ferum
Jolcos, & Iberia venenorum ferax,
Versare magicum turbinem, infernum chaos
Tristi ciere cantu, avernales aquas
Spargere, rubetæ Sanguine Draconis Jecur
Miscere didici. Manibus haud semel meis
Est de Sepulcris caprificus eruta,
Et mortuorum fusus in pateras cinis,
Arbitria ut hominum verterem ad nutus meos.
Hæc hæc malorum virga facinorum artifex,
Duri satelles Imperj est testis meæ
Opulenta fraudis: hàc vel invitum traham
Ad vota Juvenem. Namque tergeminis humum
Si cingat orbibus, illico erumpet malus
Acheronte ab imò turpis illecebræ parens.
Illum pudori Sarmata opponam tuo. (la;) (b)
Age virga quid cunctare? ter in Orbem ambu-
Ter quate cita solum, fordidumq; ab inferis (c)
Libidinosæ tabis auctorem excita,
Huc, pudicæ mentis hostis pertinax,
Tyranne blande cordium, cupidinis
Pravi repertor, sæve dedecorum Faber,
Dolosa Syren, callide pudoris latro,
Huc concitatos Tartaro gressus move,
Sed quæ ora fingis exhibe, non quæ geris.
Deformis es, cruentus, immitis ferox,

Ego

(a) *Hæreticus parum fidens puerorum ingeniis convertit se ad opera magicæ artis, qua erat instructus.* (b) *Virga magica tres format in pavimento circulos.* (c) *Ter virga percutit humum.*

Ego te venustum, blandulum, mitem volo.
Dedisce naturam, oris inimici exue
Fœda simulacra, fraudibus & aptam tuis
Mollre frontem. Pinge Juvenili genas
Flore, rubicundus niteat in vultu color,
Frontem serenet purpura, oculorum vigor
Certet pyropis, fluitet in labris lepos;
Mentire ephœbum impuberem, quales fovet
Vienensis aula plurimos, gravius nocent
Quæ blandienti tela vibrantur manu.
Jam quid moratis? rnmpe tenebrosam specum.
Gormandus imperat, Erebo notum caput.
Chac. Adsum pudoris helluo, & mundi lues, (a)
Cujus superbis turba mortalis flagrat
Exusta facibus, corda cui Regum litant,
Cui spontè fasces Cæsares curuant suos,
Quid imperat Gormandus? *Gor.* Ignibus tuis
Inimicus ignis tecta populatur mea,
Luteri & intra parietes viget pudor,
Fidesque Romula. Causa præsentis mali
Est mihi Polonus hospes, ex geminis minor
De stirpe Regum fratribus. Chostcas vocant.
Ille ille tumidus nivibus incedens suis
De te triumphat, & superbifico pede
Tua tela calcat victor: Ah tantum probrum
Depelle. Vinci pudeat imbelli manu,
Quem fulminante dextera victum pudet.
Chac. Impunè nemo tela contempsit mea.
Habet hoc voluptas mollis, ut majus trahat (b)
E cæde robur. Vulnere haud ullo perit
Hæc Excetra novis usque capitibus ferax.
In homine tamdiù voluptati est locus,
Vitalis auræ spiritum donec bibit.
Meo Gygantes capita subjiciunt Jugo;
Mihi

(a) *Prodit ab inferis Chacodæmon decori Juvenis formam assimulans, ut erat jussus à mago.*
(b) *Chacodæmon suas vires jactabundus extollit:*

Mihi servit orbis. Nostra vitarit semel
Polonus iste tela, non semper dolos
Fugiet latentes. *Gor.* Perge, te comitem meis (*a*)
Adjunge natis. Funde pellacem sonum,
Et blanda ab ore verba versuto fluant.
Incumbe in astus undique, atq; omnem explica
Turbam leporum. Regna sarmatiæ petit
Fraus ista. Nam Luterus hac Serpens via
In frusta grande Teutonum imperium scidit.
Chac. Bene ominaris. Regna nil citius secat,
Quàm secta discors. *Gor.* Perge jam bellũ vocat.

SCENA TERTIA.

Paulus, Stanislaus, Phyletes Magister morum.

Pa. POmifer amœnos retulit autumnus dies, (*b*)
Qui nostra tandem colla Palladio jugo
Gravata recreent. Corda jam curis levet
Libera Juventus. Nulla luminibus fugent
Reducem soporem studia. Certatum satis
Est erudito in pulvere, & sudoribus
Sat paginæ maduere. Sollicitam Diu
Frontem explicemus, & minervalem procul
Curam exigamus. Proterit dies diem,
Tumulatur annus, pristinos bruma imminens
Referet labores. Ergo dum tempus favet; (*c*)
Pomona dum luxuriat, arbores replens
Nemus omne fœtu; & languido arentem sinu
Permulcet auræ grata temperies humum,
Reficitque lentus humor irrigui Jovis,
Arcente flammas torridi Erigone canis;
Dum gestientis insolens amœnitas
Telluris, & benignus astrorum nitor
Jucun-

(a) *Exponit Magus, quid fieri velit à Dæmone.*
(b) *Duorum fratrum mores diversi, & invicem oppositi per ipsorum verba exprimuntur.*
(c) *Describitur autumnalis amœnitas.*

Jucunda nos allectat ad solatia,
Servire genio libeat, & donis frui
Ætatis, & naturæ. In Augusto foro (a)
Levis histrionum turba, permisti senes
Juvenibus hodiè ludicri ad populum dabunt
Scenam Theatri. Læta ludentum cohors
Luctum cothurno amabilem, socco jocum
Hilarem ciebit, exprimens rerum vices,
Hominumque mores. Edet argutum melos
Chorus, agilique tundet Orchestram pede,
Modulante plectri murmure effusos gradus.
Par est, ut illuc nostra referatur quies, (b)
Quo tota certatim unda popularis fluet.

Sta. Falle otium frater alibi, & mentem exue:
Tulit in Theatris sæpè naufragium pudor.
Ad sacra potius templa vertamus gradus,
Ubi ritè regnat cereas inter faces
Parvæ sub orbe cereris inclusus Deus.
Is nostra melius otia excipiet locus.

Pa. Quid usque perstas durus, intractabilis
Optata votis ludere adversis mea? (c)
Patent in horas templa; non tamen patent
Theatra in horas. Ludicra quotannis semel
Spectacula celebrantur augusto in foro,
Queis destinatur lucis hodiernę jubar.

Sta. Lucis hodiernæ destino templis jubar. (d)

Pa. Qui nescit uti, dum licet, vitæ bonis,
Is ante mortem moritur. *Sta.* O dictum benè!
Placet ante mortem occumbere, ut nunquam oc-
Non læva mortis tela properātis pavet (cidam.
Quicumque vivus fata prævertit sua,
Perituque Mundo spontè, ne pereat Deo.

Pa.

(a) *Ludi scenici describuntur.* (b) *Ad eos ludos Paulus vult proficisci repugnante Stanislao, qui ad templa potius ipsis eundum esse contendit.*

(c) *Increpatur Stanislaus à Paulo.* (d) *Persistit in sententia Stanislai.*

Pa. Tu morere, si mors placuit, & vivus tuo
Prolude tumulo, Libera, & felix meo
Arridet animo vita. Stultitiæ est genus
Felicitate nolle, si possis, frui. (a)
Sta. Felicitas est Animus à labe integer.
Pa. Felicitas est liberæ mentis vigor.
Sta. Qui sibi scit imperare liberum puto.
Pa. Violenta qui sibi imperat, servit suæ
Acerbitati, fitque per pœnas miser.
Sta. His vera pœnis constat in terris quies,
Emiturque in axe palma, quæ semper viret.
Laboriosis usque muneribus patet
Superna, quæ vim patitur, astrorum domus,
Animosque segnes arcet. *Pa.* Hæc à tristibus
Sata cœnobitis dogmata sequantur senes,
Florem Juventæ dedecent: curas graves,
Omnemque nostræ renuit ætatis tenor
Austeritatis tetricæ acrimoniam.
Sta. Virtute Juvenes indigent æquè ac senes,
Laudemque Senio strenua juventus parit.
Quod quisque didicit Juvenis, id retinet senex.
Pa. Curare quid retineat annosum caput,
Jamque Libitinæ proximum est vanus labor.
Præsentis horæ capere nos donum decet;
Et ad theatra tendere hoc juvat die.
Sta. Perennis ęvi quærere instanter bona,
Et hoc adire templa nos juvat die.
Damnum è theatris trahitur, è templis lucrum.
Pa. Jam parce verbis; quæque germanus jubet
Ætate major, sequere germanus minor.
Sta. Si recta frater imperes major, sequar.
Pa. Jucunda major impero. *Sta.* Vetat Deus.
Pa. Mortalium vis facere tortorem Deum?
Sta. Est ille tortor mitis, & nocua secans
Chirurgi ad instar ulcera, ægrotis opem
Accelerat animis, quosque ab hominibus premi
Sinit,

(a) *Varia diffidia inter fratres.*

Sinit, & acerbæ sortis assiduis quati.
Pulsibus, amicè recreat; atque inopum bibit
Miserante fletus ore. *Pa.* Rumpamus moras.
Certum est theatra petere: præcedam prior.
Istum Phyleta vel reluctantem trahe.

Phyl. Animum coërce Paule, quæ frater monet,
Meliora velut, & consona ambobus probo.
Plerumque scenica pompa nil sanum parit.
Blanditur oculis illa; sed mentem gravi
Percellit ictu; quippè dum vafer mala
Imitatur Histrio crimina, in crimen trahit
Spectantis animum. Quisquis alienum exprimit
Quocumque nomine vitium, errare is docet.

Pa. Canis ista surdis auribus. Pergam. Vale (a)

Phy. Ah Paule Paule comprime ferocem impetum
Fugit sagittæ more. Fugientem sequar, (b)
Ne fortè sibi relictus in præceps ruat.

SCENA QUARTA.

Stanislaus, Boëmundus, Cratillus.

Sta. ABiere: nemo est. Solus erumnas meas (c)
Mecum ipse recolam. Parce si tecum que-
Jetu meorum meta votorum ultima. (rat
Cur frater à me pectus alienum gerit?
Cur me pudori cogit infensos lares
Colere, ubi turpis habitat errorum lues?
Sed alacris æquo perfero hæc animo mala,
Et acriorem cupio pressuram pati,
Tenaciori vinculo ut jungar tibi
Ardor pudici pectoris, amantum quies.

Bo. Cratille nostris ausibus casus dedit (bus:
Tempus, locumque idoneum, utendum arti-
En

(a) *Paulus Spretis Phyletæ consiliis, & relicto fratre pergit ad ludos.* (b) *Eum sequitur custodiæ causa Phyletes.* (c) *Stanislai affectus in Deum Servatorem.*

En ſolus eſt. *Sta.* Meas quis abrumpit preces?
Boëmundus, & Cratillus huc tendunt gradus.
Bo. Salve ò Lechiadum palmes illuſtris ducum.
Crat. Salve propago Principum, quos viſtula
Veneratur, Iſtro & Æmulus Boriſthenes.
Sta. Salvete vos quoque Juvenes: quorſum pedes
Huc ferre placuit? Fronte quid curis gravem
Præfertis animum? Num quid adverſum acci-
Bo. Tuæ ſalutis cura ſollicitam tenet (di?
Utriuſque mentem. *Sta.* Miror id monſtri. Meæ
Salutis avidos veſtra nil movet ſalus?
Bo. Movet. Sed animus noſter in gremio ſedet
Placidæ quietis, noſque naturam ducem (a)
Sectamur; & quos volucris annorum rota
Involuet, inter lucra numeramus dies.
Fruimur Juventæ flore, dum vernant genæ,
Moroſu donec fronte canities abeſt.
Tù tibi rebellis optimum vitæ finis
Effluere tempus. Nulla te mulcet quies.
Oculis ſoporem denegas, ori dapem:
Humeros flagello, latera dentato petis,
Repetiſque ferro. Siſte violentum impetum;
Placare naturæ; voluptati lita.
Sta. Levis hæc voluptas vulnus infligit grave.
Volat illa vento citior, at vulnus fibras (b)
Agit altè in imo pectore, nec unquam ſatis
Aboletur: hinc reſidua perpetuò manet
Veluti cicatrix labis infauſtæ nota.
Morari in una ſede virgineus pudor
Nequit, & voluptas. Mollia pudorem fugant,
Pelluntque blandimenta, queis animos nocens
Cupido lactat. Illa deficiunt brevi:
Pudoris at vis nulla jacturam poteſt
Re-

(a) *Duo fratres, Gormandi hæretici filii Staniſlaum omnibus modis ad vitæ jucunditatem, & voluptatis uſuram hortantur.* (b) *Repugnat Staniſlaus, & quam ſit noxia voluptas oſtendit.*

Reparare. Semel hic perditus nunquam redit.
Crat. Nihil opus est, ut redeat humanæ ferox
Pudor iste mentis carnifex: procul trucem
Abige Tyrannum corde. Si quoquam ferax
Esset voluptas vulnere, haud illi sacer
Dedisset operam liberi ductor gregis
Luterus, animum solve. Genialis joci
Ingredere castra. Sequere Luterum Ducem.
Sta. Detestor, horreo, abdico, ejuro, execror
Sonum nefandi nominis Christum sequar.
Laboriosa Christus incessit via.
Divina rigidum membra sulcavit flagrum: (a)
Pupugit decoram textilis frontem dolor:
Sacri cruorem pectoris mucro bibit,
Fixitque gemina cuspis extensas manus.
Bo. Quàm vera narrat! *Cr.* Vera. Nil horum negat
Luterus. *Sta.* Ergo cur voluptatem docet (b)
Alter Epicurus, & alter in terris Mames?
Cur impudicæ Cypridi addictus fovet
Alimenta luxus fœda & impuras faces?
Sibi non cohæret nebulo. Nam pugnant simul
Triplici fateri cuspide affixum Cruci
Humanæ amictu carnis indutum Deum;
Perque repetita pocula, & opimas dapes
Et per pudenda mille dedecorum probra
Turpem salaci pectore erycinam sequi.
Novus iste doctor, & simul nefarius
Veterator, & corruptor in causa gravi
Prævaricatur: Nempè quam summus palam,
Et suasit, & sustinuit astrorum sator
Commendat ore, damnat operibus Crucem.

(a) *Exponuntur à Stanislao Christi Domini cruciatus.* (b) *Luterus secum ipse pugnans ostenditur.*

SCENA QUINTA.

Chacodæmon voluptatis instinctor Boëmundus, Cratillus, Stanislaus.

Chac. FElix nimium qui præcipitis
Memor ætatis molles inter (a)
Vitæ illecebras dulcia carpit
Poma Juventæ, nec sollicito
Pectore curas turbidus haurit,
Nec per dubium virtutis iter
Vagus ambiguis gressibus errat.
Ævo celeri truditur ævum,
Lapsa nec iterum sæcla recurrunt.
Nunquam præsens hora reduxit
Quidquid fugiens perdidit ætas.
Ducite juvenes hilares annos,
Et jucundæ præmia vitæ,
Dum benè comptis crinibus aurum,
Dum rosa viridi fronte superbit.
Pereat quisquis mente severa
Tenerum vitæ spernit aprilem,

Bo. Audin sodalis? Verba non hominem sonant.

Crat. Nos quidquid ante diximus ratum facit (b)
Ephœbus ille Vocis, & vultus notæ
Superi fatentur esse Phonascum chori.

Sta. Erebi stolata pestis in labris natat
Pueri procacis. Fictus in vultu est lepos. (c)
Stygium faterer incolam, humanam nisi
Frontem referret. Quisquis est, fœdum gerit
Fallaci in ore virus, & gravidum dolis
Eru-

(a) *Prodit in scenam Chacodæmon sub specie blandiet venusti adolescentis, & suavi cantu, ac mollibus verborum illecebris Stanislaum ad voluptatem conantur impellere.* (b) *Duo fratres cantu dæmonis oblectati existimant esse Angelum è Cœlo delapsum.* (c) *Detestatur falsum juvenem Stanislaus, ejusque voces esse virulentas & suadolas docet.*

Eructat Acheronta. Fugite latentem luem. (a)
Fugite veneno per litam Circes dapem.
Chac. Cur alterno morem in Salium
Non pulsantur cava saxa pede? (b)
Cur vocalis grata metalli
Flamina cessant? Cur dulcisonæ
Murmura vocis non ingeminat
Festiva Chelys? Due age cantus,
Due age choreas læta juventus.
Voluant vigiles pectore curas,
Quibus ætatis glacialis hyems
Nive multiplici tempora sparsit.
Vos nectarei dona Lyei
Plenis juvenes haurite Scyphis:
Vos bis tyrio murice tinctas
Sumite lanas: Vos inviridi
Prato apricos carpite flores.
Bo. O dulce murmur! Flectere Hircanas potest (c)
Vox illa tygres. Non tua parius lapis,
Non durat adamas corda, non chalybs triplex,
Non te nivoso caucasus rigens jugo,
Non afra tumido protulit Syrtis vado;
Nec tibi feroces ubera admorunt Leæ;
Sed mite pectus tribuit, & mites genas
Natura facilis. Excute alienam indolem
Tener adolescens: utere ingenio tuo.
Noli esse in omnes mitis, in te ipsum ferox.
Mos iste nunquam tigribus, aut lupis fuit;
Suumque nulla vertit in corpus fera
Rictus cruentos: sævit in dispar leo,
Sævitque pardus; disce pietatem à feris.
Sta. In me trisulcas ante jaculetur faces

(a) *Monet duos juvenes, ut caveant ab insidiis fraudolenti Cantoris.* (b) *Redit ad cantus illecebrosos musicus avernalis.* (c) *Boëmundus tartarei veteratoris vocibus blandis assentiens Stanislai pectus emollire conatur.*

Gravatus æther, meque tenarius prius (a)
Absumat ignis, quàm tibi aspergam notam
O dulcis hospes cordis, & sospes pudor.
Miseranda proles scelera pietatem vocas. (b)
Tangis Carybdim, Brevibus impigis ratem,
Cœlum lacessis; Ditis in fauces ruis.
Miseror utrumque: quidquid irarum paras,
O summe Olympi Rector, in meum cadat (c)
Ignobile caput. Sceleris alieni reum
Me statue: vindex flamma me solum obruat.
Ignosce geminis fratribus: Vivant mei
Boëmundus, & Cratillus; & pateat vafer,
Qui sub decoro juvene celatur Sinon. (d)

Crat. Boëmunde quid repente correptus novo
Polonus æstu tacuit? En fulgor genas
Insuetus ambit: Summa vix trepidant labra. (e)

Bo. Attonitus hæreo. Flamma juveniles comas
Coronat. Aliquo est Numine afflatus puer.

Sta. Detecta fraus est ditis. O scelerum artifex,
O machinator vulnerum, o fraudis faber (f)
Fatere quas hic ore mendaci feris
Pestes malorum, quodque moliris nefas.

Chac. Aperire fraudes cogor. O semper meis
Inimica votis Astra? Perniciem tuus (g)
Pudor ut subiret, antra deserui stygis.

Sta. Sacer Tonanti mentis est nostræ pudor.

Hinc

(a) *Stanislai mira in pudore defendendo constantia.* (b) *Miseratur infelicem duorum Juvenum sortem.* (b) *Pro illis efficaciter orat.* (c) *Inter orandum alienatur à sensibus.* (d) *Obstupescunt duo fratres Stanislaum conspicati cœlesti lumine radiantem.*

(e) *Stanislaus post raptum mentis exurgens cognitum Deo revelante patefacit Chocodæmonem, & cogit eum detegere fraudes, & finem sibi propositum.*

(f) *Coactus Chacodæmon aperit suarum fraudum machinamenta.*

Hinc apage fraudum gurges, & purum diem (a)
Oris nefandi ſpiritu impuro leva.
Chac. Fugio. Polonus Tartaro illuſit puer.
Bo. Horrore quatior: membra torpeſcunt gelu.
Satne vigilamus frater, an fallax vagam (b)
Imago mentem ludit? *Crat.* Haud ſpectrũ fuit
Vagantis illud mentis. Invaſit pavor
Mea quoque viſcera, vixque ſum compos mei.
Bo. Vera eſt religio, quam Stanislaus docet.
Crat. Satis hoc probavit hoſtis inferni fuga.
Bo. Generoſe Juvenis parce, ſi errorem ducem
Secutus, in tua damna perfidiæ lucem
Efflare volui. *Crat.* Parce ſi in fraudem tuum
Pellere pudorem ſtudui iniquis artibus.
Carmen recanto priſtinum. *Sta.* Parcet Deus
Utrique, ſi Luterus ex animo effluat.
Bo. Effluxit animo peſtis. *Sta.* O fauſtum diem!
Quid tù Cratille? Jura Luteri abnuis?
Crac. Abnuo; tuamque pronus ample�̃tor fidem.
Sta. Supereſt, ut error imbre lacrymarum pio
Obliteretur. Ergo Cælicolum ſacros (c)
Lates petamus, ante venerandi pedes
Flaminis ut illic ſupplici excepti genu
Rite expietis labis antiquæ notas.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Phyletes, Gormandus.

Phy. PRohquantus animos regere juveniles labor
Eſt vel perito lubricæ ætatis duci!

(a) *Fugatur à Stanislao.* (b) *Duo fratres permoti prodigio patefacti fugatique a Stanislao Chacodęmonis à Lutero deſciſcunt, & fidem catholicam ampleꝫ̃tuntur.* (c) *Ducuntur in Templum a Stanislao ad illic expiandas criminum ſordes.*

Nuper theatra scenica, & scatens jocis, (a)
Me non probante; Paulus ut vidit forum,
Excussit animo palladem, & multam libris,
Dixit salutem. Nulla disinctum regunt.
Consilia Juvenem. Frena non patitur ferox.

Gor Ætatis hæc est culpa. Nos decet senes
Benè temperatæ providus mentis vigor.
Juvenile non est regere naturæ impetum.
Nunquam decorum fructibus tollet caput, (b)
Nisi ante multa fronde luxuriet nemus;
Nec prius in agris flava mitescet ceres,
Quàm tenera inani gramine redundent sata.
Sortitur omne proprios ævum gradus. (c)
Alacritatem in juvene, consilium in sene
Require. Nemo nascitur prudens: labor,
Ususque naturam expolit: initium rude
Pretiosa ducunt quæque. Proludit sibi
Per vitia virtus. Corda si Pauli rapit
Fervor Juventæ, Crimine haud peccat suo;
Nam quo virentis cursus ætatis vocat,
Illuc secundo flumine impellit ratem.

Phy. Cur ergo frater junior viam terit
Virtutis? Ævi viridis illi etiam calor (d)
Per ossa serpit; cæca non tamen regit
Mentem cupido. Vitia non ætas parit,
Sed mala voluntas. Juris & recti tenor
Æquè

(a) *Incusat Paulum Phyletes velut indocilem, & effrænum.* (b) *Excusat Paulum Gormandus, & conatur offendere, non esse consentaneam ejus ætati morum severitatem, & moderationem affectuum.* (c) *Disputat de variis ætatum propensionibus, & hilaritatem, morumque licentiam propriam juvenum esse contendit, proinde Pauli juventuti multa indulgeri oportere.* (d) *Opponit Phyletes Pauli moribus vitiosis Stanislai mores rectos, & ex virtute profectos; docetque vitia non esse tribuenda ætati. Sed voluntati.*

Æquè per omnes graditur æratum vices.
Puerile nihil animo Stanislai sapit.
Tentare nondum pedibus audebat solum, (a)
Per templa cum reptabat, & fandi inscius
Balbutiebat eloquens Verbum Patris.
Robustiore jamque succensus face,
Ceu cultor horti sedulus, jungit rosis
Candida ligustri germina, expresso flagris
Rigans cruore corporis casti nives;
Et fessa duro membra reclinans thoro
Furatur oculis otium; hinc supplex pias
Ad lacrymarum clepsydram fundit preces.
Sic ille vernos consecrat Cœlo dies.

Gor. Non laudo fructum præcocem. Succus citò (b)
Destituit ea, quæ tempore alieno trahunt
Maturitatem poma. Qui ætatis suæ
Primo senescit flore, juvenescit senex.
Nihil etenim natura violentum diù
Patitur; Acerbo potius excusso jugo,
Aut fasce iniqui ponderis licentior
Exultat, atque in vitia deterius ruit.

Phy. Rem sane acutè discutis; nostro tamen
In juvene potuit sacra naturam Charis
Superare. *Gor.* Sed non perdere. Ad suum redit
Natura morem; Seque prostratam erigit.
Quidquod supernæ Charitos innocuus vapor,
Et aura spirans leniter non opprimit
Ingenita cordi semina, nec animum trahit
Ad opera, quæ sint aspera, & vitam terant.
Illusus, atque incautus hæc temere subit
Mala, pertinaci mente dum putat bona,
Sed vera sint quæ loqueris, ut cedam meo
De jure, sint divina, sint cœlestia,

(a) *Stanislai virtutes & præclara pietatis opera enarrat* (b) *Improbat opera Stanislai Gormandus, quasi ejus adolescentiæ intempestiva & conatur ostendere periculosum esse niti contra naturam.*

Humana quæ vix autumo ; à nobis quidem
Pueros regimini traditos nostro , decet
Tractari , & aspici ut homines , non ut Deos ,
Resque revocare ad regulæ Humanæ modum .
Tener ergo seria prosequi haud debet puer .
Non dicta scitè aut facta , non solertiam
Senilem in illa ætate sapientes probant .
Equidem diserti doctor eloquii vetus ,
Rector juventæ Cæsarum , ac Latiæ togæ
Decus atque lumen Fabius hoc scriptum libris
Reliquit axioma liniendum cedro ,
Minioque : Puerum nolo , qui sapiat nimis .
Ego neque Juvenem laudo , qui referat senem .
Proclivitati quisque famuletur suæ ,
Et onere iniquo nemo naturam gravet :
Quæ nempè , Serius , ocyus prodit faces
Nostro latentes corde ; Si teneras adhuc
Prodat , pericli cautus hinc parum timet
Rerum æstimator ; pabulis auctas novis
Si proferat , in incendium , & cladem furit
Adultus ignis , vixque reprimitur furor .

Phy. Adducor ut ita sentiam . Longus docer (*a*)
Ætatis ordo , velle naturam suas
Explere tandem pectoris cupidines .

Gor. Sapiente digna opinio . Hic tecum diù
Morarer ; at me cura natorum vocat .

SCENA SECUNDA.

Phyletes , Paulus , Stanislaus .

Phy. DAnda seniori est rebus in dubiis fides .
Usus magister optimus vitæ senes (*b*)
Erudiit . Ibo jam Stanislaum petam ,
Ani-

(a) *Gormandus in suam sententiam Phyletam inducit , eique persuadet , Stanislai mores ipsius ætati non esse opportunos .* (b) *Phyletes à Gormando seductus statuit Stanislao adversari , eumque ad fratris mores perducere .*

Animumque pueri, fratris ad mores traham;
Sed huc uterque graditur. O factum bene!

Pa. Audi Stanislaë. Quoties vili sago.
Te, seu lacerna sordidum offendam rudi, (a)
Nostro indecoram generi inurentem notam;
Condire quoties cinere tentabis dapes,
Humerosque flagris plectere, & ferro latus,
Tunc te (per astra juro) non fratris loco
Ducam, sed hostis. Scilicet mores meos
Tuis reprendi moribus nunquam feram.

Sta. In te quod unquam frater admisi nefas?
Hostile quid gessi, tibi ut habendus loco (b)
Sim perduellis? Dicere haud quaquam potes
Te scelere vice vel simplici, læsum meo,
Nisi fortè scelus est animus in fratrem pius.
Namque illa, quæ mihi prohibes, obstant nihil
Tuis profectò commodis, nec te arguit
Mea vita nulli nocua; Sed forsan tui
Pars melior animi pulsat, & stimulis monet;
Occulta cujus monita ne spernas cave.

Pa. Tù me superbe corripis? Peream, nisi (c)
Tibi obstinatum comprimam plagis caput,
Utcunque libito vivere recuses meo.

Sta. Dulcia minaris Paaule. Non plagas timet (d)
Potiora qui supplicia deliciis habet
Bifidam superni Regis amplexus trabem,
Minare capiti potius illecebras meo.
Tormenta sitio. Verbera accendent sitim.

Pa. O pervicacem! damna, quæ sitis, bibes,
Nisi saniora mente consilia occupes.

Phy. Procul facessant odia, majori minor

(a) *Paulus interdicit Stanislao usum obsoletæ vestis, & salutares animo corporis cruciatur.* (b) *Mansueta responsio Stanislai cum salubri admonitione.* (c) *Paulus indignè ferens, se admonitum esse à fratre juniori minatur ei plagas.* (d) *Stanislaus ad verbera, & plagas se paratum ostendit.*

Pareat. Ubique jura primatus valent.

Sta. Ubi causa virtutis agitur, nihil valent.

Phy. Affixa virtus tempori, haud homini, venit
Ad grandiores. Aptus est ludis puer, (a)
Queis ille si severa præponens, velit
Sapere alieno tempore, haud sapiet suo,
Cum post, adulti robur acquiret viri.
Servire disce tempori, & curis grave
Tandem relaxa pectus Hostili flagrat
In se met odio quisquis ætatis bonum
Pertæsus, avidos corripit mortis gradus.
In fata ruere parricidii est genus:
Sed parricida cædis alienæ est Reus; (gis,
Tu te ipse perimis; quodque deflendum est ma-
Ludibria mentis ista virtutem vocas,
Crudelitaci nomen obtendens pium.

Sta. Tù quoque per amplā ducere interitus viam,
Vis me Phyleta, & agere transversum paras,
Quem regere debes, cuique ceu teneri sagax
Moderator ævi recta suadebas prius? (b)
Ab ore nunquam tale consilium tuo
Prodivit. Unde hic mentis illusæ furor?
Quis te repente in alterum vertit magus?
O fragile pectus hominis! O vitream fidem!
Tibi mea credo corda, qui nunquam tuos
Deseris alumnos, Christe Cælicolum decus.

Pa. Nil miror, ante jussa si sprevit mea, (c)
Qui nec magistrū patitur Haud possu amplius
Cohibere dextram. *Phy.* Parce verberibus nimis
Pro-

(a) *Phyletes cum Paulo consentiens conatur avertere Stanislaum, à nimia morum severitate, & adducere ad laxionem vitam.*

(b) *Miratur Stanislaus mutatam esse Phyletæ mentem illumque quasi à pristino regendi more degenerem mansuetè reprehendit.*

(c) *Paulus attollit dexteram ut percutiat Stanislaum.*

Prorus es in iras Paule redeamus domum, (a)
Ubi nostra facili vota procedent via.

SCENA TERTIA.

Gormandus, Cratillus, Boëmundus.

Gor. O Fida capita, columen effœti patris
Narrate quo res nostra versetur loco. (b)
Vestrum ne clausit rete luctantem feram?
An qualis aper Hercynius effregit plagas
Polonus Hospes? Gaudeam, an doleam pater?
Crat. Lætare genitor. Nullus illuxit dies
Felicior nobis. *Bo.* Diem verè aureum (c)
Natis benignus obtulit Titan tuis.
Gor. O me beatum prole tam fausta senem!
An fortè patriam Juvenis excussit fidem, (d)
Aut victa saltem corda deliciis dedit?
Bo. Glaciale potius fluctibus tingent caput
Gemini Triones. Ante confundet suos (e)
Cum fratre currus Cynthia, & noctem dies,
Diemque nox involuet, & Cœlum ruet,
Suosque circum terra vertetur polos,
Quàm patria forti nutet in puero fides,
Aut solidus ullam contrhat labem pudor.
Gor. Ergo quid inani gaudio me pascitis?
Dicite, remoto vocis ambiguæ sono,
Quem gloriosus exitum labor tulit?
Bo. Tulit profectò gloriosum; at non fuit
Is gloriosus. *Gor.* Quid ita? Vos forsan pudet
Vicisse puerum? *Bo.* Victor est nostri puer;

(a) *Reprimitur à Phyleta* (b) *Pater interrogat filios quomodo se gesserint erga Stanislaum, & quem finem habuerint eorum conatus.* (c) *Respondent filii, suum cum Stanislao congressum habuisse optimum, & sibi faustissimum exitum.* (d) *Lætatur eo responso pater, falsò existimans, vicisse filios.* (e) *Affirmat Boëmundus, fidem, & pudorem Stanislai vinci non posse.*

Victique gloriamur : at fraudis pudet, (a)
In quam pudicum trahere tentavit caput
Vesana nostræ frontis impudentia.

Crat Intra execrandæ castra perfidiæ pudet
Meruisse fœda criminum stipendia.
Benigna sed nos Numinis juvit manus.
Lethale nam dum premeret errantes chaos
Fidei Latinæ mentibus fulsit jubar,
Quas innovavit. *Gor.* Vos ne Romanam fidem?

Bo. Nos Vaticani jura veneramur Patris. (b)

Crat. Illumque Christi gerere testamur vices.

Gor. Reliquit animus membra : destituor miser
Vigore, motu, voce : præclusit dolor. (c)
Senile guttur : hæsit in venis cruor.
Quæ monstra genui, quasve nutrivi feras?
Quod genitor erumnosus, illetabilis
Ad lucis auras protuli anguineum genus?
Ingrata proles hoccine rependis patri (d)
Pro luce munus? Scilicet puero senex,
Genitorque fidus hospiti infido fui
Sic posthabendus, perfida, immanis, ferox,
Sacrilega proles, unico effundis die
Famam, parentes, Jura, pietatem, Deum.
Boëmunde cur sic vulneras natus patrem?
Quò prisca forti fugit ex animo fides?
Quis te Gygantum stravit? o probrum, o nefas!
Pudet fateri : victus à puero jaces.

Bo. Causam innovatæ mentis excipias rogo.
Cum fratre dum tua nuper imperia exequor,
Sty-

(a) *Fatentur apertè duo fratres, se victos esse à Stanislao, & ab eo perductos ad Catholicam fidem.*

(b) *Asseverant se agnoscere, & venerari Romanum Pontificem, ceu verum Christi Vicarium.*

(c) *Perculsus eo nuncio Pater Hæreticus, dolet, & indignatur vehementissimè.*

(d) *Objurgat filios, velut à Patre degeneres, & suæ fidei desertores.*

Stygius repente coluber humani notas (a)
Mentitus oris, Sarmatam blando petit
Certamine voluptatis, ac telum vibrat,
Ad cujus ictum domitor Hectoreus, truces
Deposuit iras, cecidit Alcidæ vigor,
Ramosa quamvis capita Lærnæi mali,
Toruumque profligarit erymanthi suem.
Stetit ille contra, qualis immotus Leo,
Inter minores colla cum quatit feras.
Luctatur Erebo: luce mox auctus nova
Juvenem revelat subdolum, & cogit nigros
Repetere ditis, fraude patefacta, lacus
Hoc me coëgit genitor, ut victas darem
Manus pudori, Veritati, Numini.

Gor. Te quoque Cratille frivola hęc mētis movent
Ludibria? tibi ne fit etiam vilis pater?
Vilisque fit Luterus, & vilis Deus?

Crat. Amo parentem, Numen æternum Colo,
Devoveo Luterum, ut erebi exortum lacu (b)
Borealis oræ peste deterius malum.

Ger. Removete procul hinc aspides fœdi gradus.
Solvite nefandæ sobolis aspectu patrem. (c)

SCENA QUARTA.

Gormandus, Stanislaus.

Go. OCcidimus heu! delusa puerili manu
Ars nostra periit. Vicit imbellis pudor, (d)
Gravidum venenis colchicis vicit Patrem,

(a) *Causam reddit Boëmundus suæ ad Catholicam fidem conversionis; hanc autem esse dicit repulsas à Stanislao fraudes, & insidias Cachodæmonis juvenili specie personati, eumque detectum, & coactum redire ad inferos cum ignominia.* (b) *Cratilli præclara, & plena pietate responsio.* (c) *Contumeliosè, & atrociter dictis ejicit à se filios.* (d) *Gormandus videns, nil sibi profuisse artes magicas atq; indignissimè ferens se victum à Stanislao, & suos omnes conatus elusos, in furias agitur.*

Natosque patris candidatos artium.
Repulit erynnim fraude grassantem nova.
Nil restat, omnia movimus, preces, minas,
Metum, dolorem, verbera, illecebras, dolos.
Omnia Polonus vicit, & crevit malis,
Fraudemque nostram vertit in laudem suam.
Quid anime suggeris? ira quò mentem vocas?
Olim quietem perdidi, famam, fidem, (a)
Animam, Salutem, Numinis, & hominũ metum.
Nunc perdo prolem; quodque cor grauius ferit,
Artem docendi perdo. Quid suades furor?
An est quod ultra perdere infelix queam?
Est vita. Pereat, morte sanetur dolor.
Majora cruciant damna, quàm vivum pati
Ut me ipse debeam, Renuo terræ gravis,
Odiosus Astris vivere, invisus mihi.
Decreta mors est. Mortis haud constat genus.
Ferrone vitam finiam, an præceps jugis
Ad acuta lętho saxa Comminuam caput?
An guttur alta pendulum elidam trabe?

Sta. Quis ille, digitis fata dum librat, necem
Lacessit ultro? Fronte Gormandum refert. (b)
Magnũ aliquid agitat. Varius invultu est color.
Fert odia, metuit, invidet, dolet, furit;
Gormandus hic est: hominis affatum petam.

Gor. Hic mea dolore pectora exoluet calybs,
Hic obligatum tartaro reddet caput. (c)
Scrutare ferrum viscera, cruorem bibe.
Aude quid hæres dextra? quid trepido gradu
Resistis? Aude; lucis invisæ moras
Abrumpe; Vulnus pectori adverso imprime.

Gor-

(a) *Doloris atque iracundię impotens statuit mortem sibi consciscere.* (b) *Superveniens Stanislaus animadvertit, Gormandum turbulentis animi motibus agitari.* (c) *Decernit Gormandus pugionem in pectus adigere, & suam dextram hortatur, ut id facinus audeat.*

St. Gormãde quid agis? Quis gravat mentẽ furor, (a)
Gor. Abscede pestis: an etiam arbitrium necis
Vis rapere? nil prohibere moriturum potest.
Sta. Quæ causa vitam reddit invisam? *Gor.* Dolor.
Sta. Causam doloris ede. Cum vulnus latet,
Frustra admovetur cura; cum patet, salus
Festinat, aptè medica si accedat manus.
Gor. Tu mihi doloris causa maturas necem. (b)
Sta. Me tam nefandi sceleris haud novi reum.
Neque debeo, neque volo, neque possum puer
Nocere cuiquam. *Gor.* Prole tu me orbas mea
Auctore te, Cratillus in fraudem incidit
Cum fratre Boëmundo. Tridentinum nefas
Uterque jam sectatur, & nugis litat,
Quas ponit inter sacra Romulidum genus.
Sta. Hæc ergo causa mortis? hoc fraudem vocas?
Non rapta, sed nata soboles gemina est tibi, (c)
Nec illa fraudi cessit; at fraudem stygis
Elusit, execrata perfidiæ luem.
Go. Permitte mortem. *Sta.* Pectus opponam meum,
Ut te ruinæ subtraham, hoc ferrum; hanc manú
Tenebo, & hospes hospiti auxilium feram.
Gor. Quæ isthęc in hostem lenitas? quid amas pius
Prælitigatorem impium? Heu fari pudet; (d)
Tamen fatebor scelera: nam certum est mori.
Si cognita Stanislae tibi forent mala, (e)
Quæ

(a) *Reprimitur à Stanislao.* (b) *Edit Gormandus causam doloris ipsum adigentis ad necem sibi inferendam, & hanc esse ait ipsum Stanislaum eo quod suos filios ad Romanam fidem traduxerit.* (c) *Ostendit Stanislaus, filiorum ejus conversionem debere illi esse potius causam letitiæ quàm doloris, & mortis.* (d) *Benignitate, & mansuetudine Stanislas incipit deliniri Gormandus.* (e) *Fatetur quid contra eum fuerit machinatus, & quo modo ad evertendam ejus religionem, & castimoniam filios prius, deinde Cacodæmonem voluptatis instinctorem impulerit.*

Quæ infidus hospes in tuum movi caput;
Meum hoc probares forsitan votum necis.
Ego, ut pudorem cordis, & patriæ decus
Tu religionis perderes, natos prius,
Dein vero gravidum fraude luxuriæ patrem
Caliginoso Tartari excitum specu
Sub ore blando perpuli in pestem tuam.
Recede juvenis: iniquum hoc saltem luam
Nunc morte crimen. *Sta.* Absit hoc, potius luas
Fonte lacrymarũ crimen. Ah miserũ senem! (a)
Quàm malè tenetur hostis implicitus plagis!
Agnosce tandem subdolam Acherontis fidem
Gormande: quò te proditor adegit vide.
Gor. Heu video; manibus tango perfidiam stygis.
Sta. Quid ergo stygias pronus in fauces ruis?
Miserare te præcipitem, iniquum, perditum.
Jamque abige ferrum: sequere natorum viam:
Dà te Tonanti supplicem, ac tandem tuæ
Consule saluti. *Gor.* Magna vis scelerum vetat
Sperare veniam. *Sta* Pessimum est sceleris genus
Spem perdere salutis. Scelera quæque obruit
Nostri facilitas Regis, hunc placat liquor
Expressus oculis. Ingemit quoties reus,
Toties Tonantis fulmina extorquet manu.
Gor. Vivam. Tuo me dirigi arbitrio finam (b)
O dulce vitæ sydus, o nostræ domus
Tutela felix. Duc age errantem senem
Quo limite placet. *Sta.* Limite salutis regam.
Succede tectis, meque comitantem præi. (cus!
Gor. Me miserũ, Averni quàm propè attigeram la-

SCENA QUINTA.

Boëmundus, Cratillus.

Bo. GRatemur Astris frater. En pleno beat
Nos pacis ubere prodigus amoris Deus.
Sub

(a) *Hortatur eum ad pœnitentiam Stanislaus.*
(b) *Resipiscit omnino Gormandus, & Stanislai arbitrio se permittit.*

Sub architecto scelerum, & errorum duce (a)
Lutero, & ipsi dediti imperio patris,
Horresco memorans, ferream ætatem diù,
Malè feriati duximus, tandem aureum
Miseros revisit tempus. O felix dies,
Signanda & albo lapide, qua primùm minor
Polonus intra hæc limina immisit pedes!

Crat. Cumulum recenti gaudio demit recens
Timor imminentis cladis Haud satis liquet (b)
Quò se parentis vertat insanus furor.
Minus timerem quos movet parens metus,
Si mihi timerem. Timeo, ne Carum caput
Hospitis amici fraude genitoris cadat.

Bo. Ne metue. Cari capitis in tuto salus
Mox erit. Amicus hospes è nostro efferet, (c)
Tellure profugus Norica, hospitio pedem.
Salubrioris luce mutabit soli (res?
Viennense Cœlum. *Crat.* Repetet an patrios la-

Bo. Non; Sed Latino tecta Christiadum Patri
Regnata petet *Cra* Expone quis mentē impetus
Ad tam remota Regna juvenilem rapit? (d)
Alio calentes Sole cur tentat plagas?

Bo. Speciosa decora nuper in lucem tulit, (e)
Satum superno semine virorum genus,
Nobile Secutum Cantabri auspicium Ducis (f)
Jesu

(a) *Exprimit Boëmundus singulare Beneficium utrique fratrum collatum à Deo in iis traducendis opera Stanislai ad Catholicam fidem.* (b) *Ostendit Cratillus se ab irato ipsorum patre metuere Stanislao periculum, & perniciem.* (c) *Eximit eum fratri timorem Boëmundus narrando, in proximo esse Stanislai discessum ex ea regione, & profectionem in Italiam, & Urbem Romam.* (d) *Siscitatur Cratillus causam ejus propinqui discessus.* (e) *Religiosus ordo Societatis Jesu luculenter à Boëmundo describitur.* (f) *Nomine Cantabri Ducis intelligit S. Ignatium de Loiola Societatis Jesu Fundatorem.*

Jesu verendum nomen in signis volat
Fatalis Erebo gentis, Unanimes movet
Consimilis acies cura. Stat mundi arduos
Lustrare fines, pondere ut scelerum gravi
Soluta tellus Ditis excutiat jugum.
Generosa nullis parcit ærumnis cohors,
Ut Vaticanæ legis ad normam reum
Conformet Orbem. Jurat in Latium caput,
Quo fulta, diræ castra perfidiæ quatit.
Fons Roma generis auream pubem serit
Spem gloriosæ gentis, & Cœlo sacram
Pietatis, atque Palladis lacte imbuit,
Repletque vastos prole numerosa sinus
Utriusque mundi: vixque telluris manet
Abdita, remota, torrida, aut rigens plaga,
Aperta quò non mille per discrimina
Penetrarit alacer Impigræ Gentis labor.
Huic sua sacrare corda militiæ flagrat (a)
Pudicus hospes. Ergo quam primùm solum
Viennense linquet, Latia, quæ mordet Tybris
Aditurus arua: Scilicet fratris furor
Hic esse voti compotem puerum vetat.
Cra Felix Quiritum Regio, quę tantum hospitem.
Gremio fovebis. Norica hæc tellus gemat
Viduanda juvenũ Sole. Quis prohibet pium
Nos æmulari facinus, & patrios Lares (b)
Mutare Christi sedibus? Mundus perit,
Pereuntque Mundi Gaudia. Sequamur bonum,
Quod nullus Imber, nulla consumit dies. (c)
Ad Astra, ad Astra Frater. En docet viam
Polonus: Astra præpete petamus gradu.

Bo-

(a) *Narrat Stanislai Propositum eam Societatem ingrediendi, & ad hunc finem propediem Romam eundi.*

(b) *Hortatur fratrem ad relinquendas mundi vanitates, & Stanislai vestigiis inhærendum.*

(c) *Bočmundi modesta responsio.*

Bo. Imitaret hoc exemplar, & vestigia (a)
Pueri virilis sequerer; at nondum viget
Matura virtus. Ista sed melius domi
Discutere libeat. *Crat.* Cepta fortunet Deus.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Stanislaus, Nicander Stanislai conscientiæ Moderator.

Sta. MOderator animi fide, cui patent mei (b)
Arcana cordis, quique lustrali eluis
Mur mure potentis Imperi informes notas,
Quæ nostro inhærent pectore, arbitrium necis
Vitæque gestans, auribus amicis bibe,
Quæ dicere paro, meque consilio rege.
Nic. Exprome quidquid mente generosa foves
Magnanime juvenis. Pectus assuetum gero (c)
Tua venerari vota. Nil unquam leve,
Vulgare nihil est ore prolatum tuo.
Meditaris usque grandia, & præstas viris,
Maturiorque senibus incedis puer.
Sta. Me laude nulla dignor; at si quid tamen
In me probatur, animus officii memor
Paret, amori ut referat acceptum tuo.
Audi quid agito mente. Jam dudum meo
Est vilis animo Mundus, & mundi nitor. (d)
Innumera namque vitia tellurem premunt.
Hinc fastus animi, turgidum quassans caput
Fastus minores calcat. Hinc tetram vomit (e)

Sta-

(a) *Describitur sacræ confessionis auditor, & absolutio sacramentalis.* (b) *Laudatur à Nicandro Stanislaus.* (c) *Stanislaus indignum se laudibus putans submisse simul, & officiosè irespondet.* (d) *Exponit Nicanduo quid animo voluat; & quàm ipsi sordeat Mundus, ostendit* (e) *Enumerat, & describit vitia quibus Orbis terrarum abundat.*

Sanjem veneni livor, & rodit suos
Jejunus artus. Acuit hic enses furor,
Seritque bella, cæde respersus manus.
Quid damna referam, sacra quæ terris fames
Invexit auri, & sordida ac semper lucris
Inhians cupido? puppis ignoto prius,
Et quod latebat melius, insultat salo,
Speciosa colli vincula ut gemmas legat.
Terræ petuntur viscera, & ferrum nocens,
Autumque ferro quæritur Nocentius.
Hoc fonte derivata bellorum Seges
Nunquam expiandis cædibus texit solum.
In tela ferrum vertitur, Marti facem
Dum subdit aurum. Pejus exoritur malum
A peste blanda, quam voluptatem vocat
Delusa gens. Hæc fœda morborum parens,
Decorum Charybdis dira, virtutum rogus,
Syrtis pudoris quodlibet inausum nefas.
Audet, nec ulli parcit ætati; Senes,
Juvenesque facibus impetit. Nusquam salus,
Nisi fugiatur hostis. Heu scelerum pudet.
Ruit omnis in deterius ætatum gradus,
Moresque castos longa comminuit dies.
Ætas parentum degener ab avis tulit
Nos nequiores. Sæculo urgemur gravi. (nor
Nic. Non temporum hæc est culpa: perpetuus te-
Mortalis hic est sobolis, & semper sibi (*a*)
In scelere tantùm constat inconstans genus:
Tamen est vel inter vitia virtuti locus.
Sta. Sed iste lubricus. Integræ mentis decus
Alere tot inter crimina est æquè arduum, (*b*)
Ac mille laqueos premere inoffenso pede.
Nic. Sic est. Periclis mille multiplici patet (*c*)
Ob-

(a) *Respondet Nicander, posse etiam inter vitia servari virtutem.* (b) *Subjicit Stanislaus, id esse valdè difficile, & mentis integritatem non esse tot periculis objiciendam.* (c) *Adhæret Stanislai Sententiæ Nicander, eamque confirmat.*

Obſeſſa virtus ſcelere: nec tutum reor
Tentare cæcis plena vorticibus vada,
Cineri & doloſo premere ſuppoſitas faces.
Pretioſa ſcilicet animi in tuto Salus
Eſt collocanda. Quiſquis ancipiti loco
Hanc Fidit, ipſi facilè perniciem creat.

Sta. Quod rogo perenni idoneũ in primis putas (a)
Animi ſaluti, & affatim laudum ferax
Genus eſſe vitæ, quemvè præcipuè ſtatum
Ampla meritorum conſequi in terris lucra?

Nic. Oppidò beatus ille, qui fluxas opes, (b)
Ut priſca gens Chriſtiadum, & infauſtum bo-
Fugacis ævi ſtrenuo calcans pede (num
Caſtris pudoris militat Cœlo Sacer,
Metuendus Erebo. Cæca non illum trahit
Animi cupido, mentis haud inflat tumor,
Nec ſpes, metuſque torquet, aut flatus levis
Popularis auræ tollit; at regit fides,
Et ſacra paſcit ubere benigno charis,
Regiaque tandem ducit in Cœlum via.

Sta. Hoc agitat animus: Caſtra me Crucis vocant,
Quæ Dux locavit Cantaber, nomen trahens (c)
Ab igne. Congruenter à Jeſu tamen
Sumptum, ſalutem ritè quod hominum ſonat.
Semper adorando nomine hic heros pio, (d)
Quem peperit ipſe, cętui, nomen dedit,
Hujus operam animis fore ſalutarem ſciens.
Hunc eligo cætum. Sacramentum placet
Di-

(a) *Petit à Nicandro Stanislaus quem ſtatum maximè idoneum cenſeat ad ſalutem animi in tuto collocandam, & multa merita conſequenda.* (b) *Deſcribitur ſtatus felicitiſſimus hominis, qui contemptis terreſtribus bonis ad Cœleſtia ſemper aſpiret, & Deo viriliter ſerviat.*

(c) *Exponit Stanislaus ſuum deſiderium, & propoſitum ingrediendi Societatem Jeſu.* (d) *Cauſam aperit cur S. Ignatius ordini religioſo à ſe inſtituto Societatis Jeſu nomen indiderit.*

Dicere sub auspice Jesu, & optatæ ingredi
Sedem quietis. Ergo Romanas iter (cul
Quamprimum ad arces dirigam, ut patria pro-
Tellure, Mundo moriar, & vivam Deo,
Veneranda subiens jura Gandensis Ducis.

Nic. I quò pudicæ flamma te mentis rapit
Virtute macte juvenis. Ad Crucem vola: (a)
Non te morabor. Sequere felicem impetum.
Tuam profectò valida pietatem decent
Ejus catervæ Castra, quæ à Jesu sacro
Gaudet vocari nomine. Huic addes novum
Decus atque robur. Interim à fida manu
Cape munus hoc amoris. Hunc adhibe viæ
Comitem, ducemq, Flabra si boreæ fremant (b)
Erit hic benignus ignis; at si Æsteus flagret
Erit aura lenis. *Sta.* Munus hoc semper meo
Hærebit in corde. Lateri hæc fesso dabit (c)
Umbram Hospitalem platanus, hoc fructu fa-
Solabor, ex itinere collectam sitim (mem
Hoc fonte fallam: Baculus hic dubios reget
Gressus. Itineris Astra si finem dabunt,
Erit hic viator: Astra si finem negant,
Erit hic viaticum. Sed huc Paulus venit.
Secede: Fratri liceat extremum vale
Dicere. *Nic.* Benigna te regat Christi manus.

SCENA SECUNDA.

Paulus; Stanislaus.

Pa. QUid iste solus agitat? An quærit mea
Temerare rursus gaudia? O durum caput
Quas hic remotis arbitris curas coquis?

Sta. Hæc aure quęso verba patienti excipe. (d)

Pa. Eloquere. *Sta.* Novi facilè jam pridem tibi
Me

(a) *Confirmatur à Nicandro in eo proposito Stanislaus, & incitatur ad id alacriter exequendum.* (b) *Donat illi Nicander velut suæ benevolentiæ pignus simulacrum Christi cruci affixi.* (c) *Stanislai affectus erga id simulacrum.* (d) *Stanislaus veniam discedendi blandè petit à Fratre.*

Me non probari, teque non æquo meum
Consortium animo ferre. Jam ergo Noricas
Mutare sedes liceat, & alio plagas
Petere tepentes sydere. Arbitrium tuum
Accedat, oro, frater Optatis meis.
Pa. Abscede, propera, corripe hinc procul gradus,
Abi vel extra mundum, ubi penitus mea (a)
Latere possis lumina: id cupio, id volo,
Id posco Numen. Amove hinc pedem ocyus
Non dum recedis? *Sta.* Frater æternum vale.

SCENA TERTIA.

Paulus, Phyletes.

Pa. BEne est; peractum est: abiit, excessit; mea
Cumulavit hodiè vota. Cur tamen genas
Injussus irrigat imber, & mentem dolor (b)
Percellit improvisus? Heu facti pudet,
Iramque vis exorta pietatis fugat.
Relabor impius hostis in fratrem pium.
Nimis impotenti mente primatum gero.
Mitem, innocentem reppuli immitis, nocens:
Germanitatis jura violavi ferox.
Non sic haberem vile mancipii caput,
Ut fratris habui. Muto jam factum: fugam
Fratris morabor. Maneat, & mecum dies
Ducat Serenos. Norico haud unquam solo
Abire sine me perferam partem mei.
Sed huc Phyletes properat. Aspectus viri,
Ni fallor, ardet. Aliquid adversum indicat.
Quid huc Phyleta concitos fundis gradus?
Satinne Salvæ? *Phyl.* Tuus in exitium ruit
Frater, suique contrahit fati viam.
Soli est cruentus hostis, & lictor sibi.
Reperi hæc propinquæ cædis indicia, flagrum
Madidum recenti sanguine, & zonam undique
Acu-

(a) *Veniam fugę largitur Paulus, & iratus urget discessum.* (b) *Varios animi motus in Stanislaum Paulus expertus duritiem erga illum suam damnat.*

Aculeata cuspide rigentem. Hoc latus (a)
Cingit, oditque baltheo in pœnas suas
Acutus; at hoc membra depascit flagro,
Floremque vitæ demetit: Nulla impetum
Frænare ratio mentis indomitæ potest.
Pa. Pietas rebellat: æstus irarum redit; (b)
Hostemque rursus, fratre depulso, induo.
Cedò necis instrumenta. Sicsc indomeam
A fratre mentem. Pereat hoc pœnæ genus,
Quod ilia populatur: at pœnas luat,
Quas irrogare corpori assuevit flagrum.
Casta lacerare membra quo solet modo,
Laceretur, & in frusta discissum cadat.
Phy. Laudo furorem. Perge; fraternas manus
A cæde reprime; juvenem inimicum suæ
Felicitati prohibe ab interitu: preces,
Promissa, lachrymæ, dona proficient nihil.
Vim vi repelle. *Pa.* Sed ille minitatur fugam,
Quam ne capessat vereor. Æternum vale
Mihi dixit *Phy:* Heu quid audio? dolorem patris
Lenire nunquam potero, si fugiat puer. (c)
Amoliamur omne consilium fugæ.
Pa. Properemus ergo. Periculum est hìc inmora-

SCENA QUARTA.

Stanislaus.

SUperba Regna Norici, augustum solum (d)
Nullo latus comitante, fugitivus puer
Tandem relinquo, pacis ingredior viam,
Quæ me ad Quirini sistet optatos lares.
Fugio fugacis temporis munus breve,
Incerta mundi Gaudia, & certos dolos,
Fœcunda culpæ Secla, Circęas dapes,
Pervia Draconi poma, Tantaleam sitim.
Tu

(a) *Arma afflictando corpori à Stanislao adhibita prodit Philetes Fratri* (b) *Redit Paulus ad veteres iras, & illa dolorum instrumenta discerpit.*
(c) *Initum à Stanislao fugæ consilium intercipere statuunt.* (d) *Fugientis affectus.*

Tu mihi viarum dirige ignaros pedes (a)
Bisgenita proles, mente quæ Patris fluis
Amore gravida. Tuque tergemini potens
Regina mundi, cujus in vultu gravis (b)
Tonantis ira detonat, avita lue
Afflata nunquam Virgo. Si matrem meam
Te nuncupavi rite, da facilem viam,
Duc obsequentes quò vocas Mater gradus.
Amore quid me patria nequidquam tenes
Vinctum? recede. Mater in Cœlum vocat:
Sequor, sequor: valete fraterni lares;
Tellus paterna vale. Stanislaum manet
Melior in Orbe patria, & melior parens,
Meliorque frater. Tuta me sedes manet
Solidæ quietis Urbe, quam Summus regit
Claviger Olympi, & Martyrum rigat cruor.
Ibo, Ibo quà Septena protendit juga
Urbs illa Divum Ipsanis plusquam Ducum
Veterum triumphis inclyta. Excipiet sinu
Ibi me benigno parva Tyronum domus,
Addetque alumnis, lacte quos fovens pio
Ad opera format grandia, & rigidis probat
Non rigida rebus. Inde post cursum brevem
Labentis ævi Regna Cœlicolum petam.
Sed Heu repente dira quæ species ferit
Mea lumina? Quis in frusta delicias meas,
Meosque amores impia scidit manus?
Agnosco cara militaris Cinguli
Segmenta, mea quo latera pręcinxit pudor,
Cœloque consecravit; Agnosco flagrum,
Quo ratio subigit membra, ne carnis vigor
Animo rebellet. Quidquid ex illo est super
Scrutabor ore: Colligam laceras opes.
Dulces reliquiæ, pectoris amantis pia
Monumenta, torques aurei, satellites

Men-

(a) *Opem fugæ, & præsidium à Divino Verbo i præcatur.* (b) *Deiparam quoque conciliare vo- tuis studet.*

Mentis pudicæ, Scelerum acerbi indices
Mecum ite mecum. Jungere hos comites libet.

SCENA QUINTA.

Gormandus, Boëmuudus, Cratillus.

Gor. REdivina proles ora redivivi Patris (a)
Suspice, renati dirige incessum senis,
Qui malè tot annos perdidi, & recens novam
Instituo vitam. Vivere incipio miser,
Cum vita languet: Ultimos ævi dies
Numerare primos coger: ætatem ordior
Jam funeri maturus: exacto nihil
Vixisse prodest tempore: Superior fuit (hi!
Mea vita scelus. Heu quàm malè excideram mi-
Bo. Memorare cessa genitor exactos dies,
Perfidia quos absumpsit. Haud restat brevis
Tibi vita, si nunc vivere incipias Deo.
Æternitatem quod parit longum puta.
Crat. Satis est superque cursus annorum brevis,
Peritura nunquam gaudia, perennes dies
Ut assequaris. Crimen elapsum potest
Stimulus amoris esse. Scit ferrum rude
Virtus in aurum vertere, & ab ipsa eruit,
Labe medicinam *Gor.* Criminum pœnas adhuc
Nullas recepi. Timeo, ne vindex manus
Tonantis, in me fulmine trisulco irruat;
Quamquam è! Tonantis fulmine indignũ reor
Infame caput hoc. Pœna me vilis premat
Bo Timor iste frustra est. Mitis ex æquo est Deus
Cum punit, & cum parcit. Est potentior
Quacumque pœna pectoris amantis dolor.
Peccasse quem pœnituit, excussit scelus.
Hæc faustus hospes dicere haud rarò solet.
Gor. Ubi est salutis dulcis assertor meæ?
Bo. Divina juvenem fertile ad Latii solum,
Urbemque Sacram Romuli rapit Charis.
Ibi veteranus castra tyronum colet
Mi-

(a) *Aperit natis genitor susceptam à se saniorem mentem, Vitamque anteactam execratur.*

Miles pudoris militum, & curis procul
Ducet Serenos pacis in gremio dies.
Sed ecce tectis Paulus exportat pedem
Similis furenti. Quid manu Schædam gerit?

SCENA SESTA.

Paulus, Boëmundus, Cratillus, Gormandus.

a. PRoperate comites; juvenis audacis fugam
Inhibete mecum. Si quid hospitii valet
Nomen verendum, si quam quos urget fides,
Mei reprimite fratris effrenos gradus.
Præcipitis index comperi hoc folium fugæ.
Hanc ille nostro paginam liquit thoro.
b. Egone ut amici facinus oppugnem pium,
Et Religionis nuper acceptæ immemor
Pro singulari munere rependam Scelus?
Teutonica potius arua cæruleus Tybris
Lavet, & profundum Roma Danubium bib't,
Quàm mea pudicum peccet in juvenem fides,
A quo nefando nuper ereptus jugo
Luteri, & alma luce perfusus vagos
Intra Salutis orbitam immisi gradus.
a. Tene o Sodalis virulentis faucibus
Luteridos Hydræ frater eripuit meus?
b. Eripuit, & servavit. *Crat.* Illuxit Sacrum
Mihi quoque fidei per Stanislaum jubar.
Ille mea stygio corda subtraxit duci.
a. Divine juvenis! Frater heu frustra innocens
Proh quantus es, quàm fortis in puero Gygas!
pr. Quicumque fratris robur invictum tui
Non penitus obstupescit, in me lumina
Defigat avidus. Ego venenatis dolis
Tumidus, & arte Colchica in pueri caput
Acheronta movi. Vicit Acherontem puer
Intrepidus; & me scelere perculsum gravi,
In mearuentem funera, in stygios lacus,
Fera provocantem fata restituit mihi,
Cœloque peperit. Jamque Luteri horridam
Detestor, auctus mente meliori, Luem.

Pa.

Pa. Nunc omnis in me vindicis Olympi ruat
Fragor. Tonantis ira quid ſegnis jaces?
Quin vile caput hoc turbine in feſto petis?
Preme, percute. Feri; Non poteſt in me tuum
Eirare fulmen. Fratris hic peſtem vides.
Egomet pudicum, ſobrium, mitem, pium,
Superis amicum, luce perfuſum ſacra,
Intaminatum labe, prodigiis gravem
Immitis, excors, durus, implacabilis
Fratrem Tyrannus expuli. Aſſultus meos,
Meos furores fugit. Heu quæ nunc vagus
Deſerta luſtras loca peregrino pede?
Ubi frater erras? forſan immanis fera
Tuo cruore luſit. O luctus patris!
O civium ſpes irrita! O matris dolor!
O lux abacta patriæ! o fratris ſcelus!
Crat. Fletus inanes amove, ac potius tuo
Gratare fratri, vota qui cordis tenet.
Non ille te, ſed gravibus effugit malis
Mundum ſcatentem. Roma terrarum caput
Juveni viarum eſt meta; nec honorum fame
Stimulatus arces ille Romuleas petit;
Sed amoris actus flamine. Ibi ſacros colet
Jeſu penates Cantabri miles Ducis.
Pa. Si vota cordis obtines frater, licet
Tibi gratulari jure. Tu Cœlum rapis,
Terram reliquis mihi; Sed affectus meos
Ipſe quoque ad Aſtra transferam. Tecum juvat
Sociare corda. Tendere in Cęlum juvat.
Gor. Portenta rerum mira! Perfidiam in fidem,
Odium in amorem Numinis mutat manus.
Hoſpitia ſubeunt noſtra concordi gradu
Religio, Pietas, Pax, Fides, Pudor, Salus.
Nos ergo tot cęleſtibus ovantes bonis
Feſto colamus proſperum plauſu Diem,

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE